



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. Quomodo fiat rarefactio & condensatio proprie dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

RESOLUTIO IV.

LXVIII. Dico 2^o, rarefactio & condensatio est duplex, una latè & improprie dicta, altera stricte & proprie dicta.

LXIX. Rarefactio improprie dicta, est, quâ corpus majorem locum occupat per recessum partium ab invicem & intromissionem corporum extraneorum inter illas, ut aeris, aquæ, &c. talis est rarefactio, quâ panis majorem locum occupat, dum partes illius visceramenti à se invicem recedunt, & inter illas intromittitur aer; item quâ spongia majorem locum occupat, dum partes illius post compressionem vi naturali spongiæ à se invicem recedunt, & inter illas intromittitur aqua, velaer.

LXX. Rarefactio proprie dicta, est, quâ corpus majorem locum occupat sine recessu partium ab invicem ob expulsionem corporum extraneorum inter illas; de quâ Dub. seq.

LXXI. Condensatio improprie dicta est quâ corpus minorem locum occupat per accessionem partium ad invicem & expulsionem corporum extraneorum inter illas; talis est condensatio, quâ uva passa bullita minorem locum occupat, dum partes illius vi compressionis & expulsæ aque ad se invicem accedunt, idem est dum spongia plena aquâ vel aere comprimitur.

LXXII. Condensatio proprie dicta est, dum corpus minorem locum occupat per accessionem partium ad invicem sine expulsionem corporum extraneorum inter illas; de qua etiam Dub. seq.

LXXIII. Adde me uvam ex his rarefactionibus & condensationibus proprie dictam vocasse, aliam improprie dictam; quia secundum definitiones rari & densi ex Aristotele communiter receptas, rarum proprie dictum debet esse illud, quod sub magnis dimensionibus propriis, parum habet materie, & consequenter rarefactio proprie dicta debet esse actio, quâ corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupat; densum vero proprie dictum, quod sub parvis dimensionibus propriis multum habet materie, & consequenter condensatio proprie dicta, actio, quâ corpus secundum proprias partes & dimensiones minorem locum occupat: in rarefactione vero improprie dicta, non magis corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupat, quam occuparet corpus hominis, si ejus caput Gandavi, pectus Brugis, & pedes Ostendæ ponerentur; quia non occuparet majorem locum, nisi ratione aliorum corporum interjacentium inter partes suas, quod etiam in tali dimensione corporis hominis haberetur: quod enim in spongia post compressionem, in uva passa bullita, &c. non agnoscant Philosophi veram rarefactionem, ideo est; quia fit per intromissionem corporum extraneorum; siue sensibilem, siue insensibilem, parum refert; quia tam hæc, quam illa impediunt quod minus corpus secundum proprias partes & dimensiones majorem locum occupet; idem dic proportionaliter de condensatione.

DVBIVM II.

Quomodo fiat rarefactio & condensatio proprie dicta.

LXXIV. Ante Resolutionem Suppono 1^o, dari rarefactionem

& condensationem proprie dictam varias experientias convincere, ut olei, aquæ, lactis bullientis, &c. nam hæc igni applicata & calefacta proprie rarefunt; ab igne & calore remota proprie condensantur; item castanæ & ova proprie rarefunt, dum igni apposita magno impetu rumpuntur, eò quod aer intrinsecus existens calore rarefactus non valeat tantillo loco comprehendi; sed de modo, quo fiat rarefactio & condensatio proprie dicta, uti est dicta difficillimum, ita & sunt Philosophorum sententiæ diversissimæ.

LXXV. Suppono 2^o rarefactionem completam corporis rari varios motus includere: ut primò productionem caloris & aliorum prius in corpore raro non existentium, & ad rarefactionem ejus requisitorum; secundò, & maximè, ubicationum novarum corporis rari productiones; quia sine illis intelligi non potest corpus rarum occupare majorem locum, quam ante: loquere eodem modo proportionaliter de condensatione completâ corporis densi. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

Rejicitur 1^a sententia minus probabilis, De-mocriti apud Aristotelem 4. Physic. cap. 9^o.

LXXVI. Dico 1^o, rarefactio non fit recessu partium ab invicem & admissione vacui inter illas discontinuatas; condensatio vero accessu partium ad invicem, & repletionem vacui inter illas.

LXXVII. Probatur 1^o, quia vacuum (ut constat ex dictis in lib. Physic.) naturaliter est impossibile, ergo, &c.

LXXVIII. Probatur 2^o, nam terra in aquam conversa decuplo plus spatii occupat, quam prius: in aerem verò, centuplo, ut Aristoteles & varii Philosophi volunt, ergo factâ conversione unius pedis terræ in aquam essent novem pedes vacui inter partes materiæ; quia hæc eadem utriusque; item unius in aerem, nonaginta novem; quod si verum esset, interdum experiremur: deinde experientia constat decem pedes aeris posse ad unum pedem condensari & proportionaliter centum ad decem, ergo decem pedes aeris habent novem pedes vacui, & centum nonaginta; quod similiter, si verum esset, experiremur, & procul dubio impediret cœlestium corporum influentias; præsertim si attendas illas debere immitti lineâ rectâ, & non per gyros, quibus circumdantur vacuitates; quia sol immittit lumen lineâ rectâ, ut patet, ergo, &c.

LXXIX. Probatur 3^o, si condensatio fieret per repletionem vacui, corpora deberent multò facilius condensari, quam rarefieri; sed contrarium experimur in pluribus corporibus, ut v. g. pulvere tormentario, qui per accensionem in instanti summè rarefit, & non apparet quando condensatur: probatur major, quia natura, ut experientia docet, tendit ad plenum, & suarum partium unionem, fugitque vacuum, & suarum partium discontinuationem; tamquam suæ conservationis hostes.

LXXX. Confirmatur, quia illa, ut summum, potest esse improprie dicta rarefactio & condensatio, ut manifestè sequitur ex dictis Dub. 1^o. & revera, corpus quod rarefit aut condensatur, ratione vacuitatum

cuitatem majorum aut minorum non plus, aut minus spatii secundum proprias partes occupat, ut consideranti patebit, id autem est de essentia rarefactionis & condensationis propriè dictæ, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

Resicitur 2^a Okami & Nominalium, valetis, Arriaga, Oviedi, Tellez, Poncii, &c.

LXXXI. **D**ico 2^o rarefactio non fit recessu partium ab invicem, sic tamen ut inter illas discontinuas non relinquatur vacuum; sed in cavitates relictas introducantur alia corpuscula, ut aëris, exhalationum, aut similia; condensatione verò per accessum earundem partium ad invicem, sic tamen, ut foras expellantur ejusmodi corpuscula.

LXXXII. Probatur 1^o, quia non apparet quid partes continui dissolvat; non enim calor ut vult P. Arriaga; quia, ut ex luto soli exposito, & viridi ligno combusto, discimus, calor potius constringit, consumens & expellens aquam & humiditatem in luto, vel viridi ligno, existentem.

LXXXIII. Probatur 2^o, quia factâ conversione unius pedis terræ in aquam; essent novem pedes istorum corpusculorum inter partes materiæ, quia hæc est eadem utriusque; & unius in aërem, nonaginta novem, quod non experimur. Vide dicta probatione secundâ contra primam sententiam.

LXXXIV. Probatur 3^o, sæpe contingit corpora rarefieri, ubi non apparet quomodo corpuscula ista subingrediantur; item sæpe contingit ea condensari, ubi non apparet quomodo corpuscula egrediantur, ergo, &c.

LXXXV. Probatur prima pars 1^o, dum Chirurgus applicat vitreas cucurbitulas vulgò ventosas, dorso infirmi, accensâ stupâ rarefcit aër, & majorem locum occupat, extinctâ verò condensatur & minorem locum occupat, & partes carnis, quibus orificia cucurbitularum applicata sunt, elevantur, & ex illis sanguis abundè fluit, ut repleat locum relictum ab aëre; ergo in rarefactione non subintrarunt corpuscula, alioqui in condensatione potius remanissent, ut repleant locum relictum ab aëre, quàm fuissent contra naturæ imperium, caro & sanguis sursum elevata.

LXXXVI. Respondet Arriaga Disputat. 16. num. 224. & ex ipso Oviedus hic, carnem elevari & rarefcere; quia per calorem aperti sunt pori carnis & per illos introsumptus est aër, & alia corpuscula paulatim; unde caro ascendit & sanguis fluit ad replendum locum relictum ab aëre, & illis corpusculis.

LXXXVII. Addit Arriaga, iterum, *miror ab his, qui hæc experientia contra nos utuntur, nunquam eam rationem fuisse consideratam*; sed & ego miror ipsummet Arriagam suam rationem non bene considerasse; si enim tunc in cucurbitulis caro rarefcit; quia per calorem aperti sunt pori carnis, &c. cur primò non rarefcit, dum adhuc stupæ ardent, & major est calor; sed denuum illis extinctis dum est minor; tum enim videntur pori illi constringi, & aër ille condensari, ac proinde potius debere in cucurbitula manere, quàm carnem ingredi: & idem est de sanguine & venis ex-

eunte: cur secundò pedes nostri, imò & totum corpus vehementer hyeme aut æstate, calefacti, non intumescunt, aut rarefcunt? deinde, si caro elevetur & rarefcit; quia per calorem aperti sunt pori carnis, quid juvant cucurbitulæ ad tumorem carnis? sinè illis enim potest caro calefieri, & ipsius pori aperiri, imò plus nocent, quàm profint, nam impediunt abundantiam aëris & corporum subingredibilium; denique (dicunt alii) propter eandem rationem tunc elevatur caro, propter quam in Eoli pilis (id est pomis æneis quibus inest tantum foramen acus) candentibus in aquam immerlis, statim fluit aqua & eas replet; quod fit (inquiunt) propter periculum vacui, & non, quia aperiuntur aquæ pori, & introsumptus est in aquam aër & ipsius corpuscula; quia, cum eadem celeritate, quâ ingreditur aqua, deberet aër & corpuscula illa egredi per parvum illud foramen unde & deberent se mutuo impedire ab ingressu & egressu contra experientiam.

LXXXVIII. Verum hæc ratio mihi non placet; sic enim sanguis non fluere in cucurbitula, quia tandem condensato in cucurbitula aëre rarefcere; sed propter periculum vacui; quo dato saltem inter partes sanguinis jam majorem locum occupantis (quod in aqua ista non fit) deberet esse quædam vacuitas, aut pura, aut corporibus interjectis plena, quæ mihi non probantur, quia primum Resolutione 1^a rejectum est; secundum verò jam impugnatur: unde elevatur caro, & effluit sanguis; quia successive rarefcit sanguis, & interea aër in cucurbitula condensatur: rarefactionem autem & condensationem statim sinè corpusculis istis, explicabimus.

LXXXIX. Probatur prima pars secundò, dum exploditur tormentum bellicum, pulvis tormentarius intra tormentum inflammatione plurimum rarefcit; sed non apparet, quæ sint, & quæ viâ ingrediantur corpuscula; non imprimis ea quæ sunt prope, quia non apparet, quæ corpuscula propinqua, (maximè in hyeme) possint esse (prout deberent) subtiliora, vel saltem aque subtilia, ac pulvis tormentarius inflammatus, quem dicit Suellius apud Fromondum esse summè rarum, ac proinde subtilissimum: non etiam quæ viâ ingrediantur; quia, vel ingrederentur per orificium tormenti, vel per omnes ejus poros? non primum, quia alioqui, cum eadem violentiâ, quâ pulvis inflammatus egreditur & globum expellit, ingredi deberent, globum repellerent & intra tormentum retinerent, contra experientiam; non per poros, quia nequidem spiritus ignei pulveris tormentarii inflammati (qui tamen sunt subtilissimi secundum omnes) per illos egrediuntur: deinde, quis credat tot corpuscula per poros tormenti bellici, tam densi (quos ideo negamus) tantâ celeritate, & copiâ intrare posse, ut replere possint ferè infinitas discontinuationes (si rarefactio per illas explicetur) in rarefactione pulveris istius receptas?

LXXXX. Probatur secunda pars, in cucurbitula dicta extinctâ stupâ, & in dictis Eoli pilis candentibus immisiss in aquam, condensatur aër; sed non apparet, quæ corpuscula emittantur & quæ viâ, ergo, &c.

LXXXXI. Probatur conclusio 4^o: hæc rarefactio, sive detur, sive non, est tantum improprie dicta ut constat ex Dub. 1^o, vel admitti debet aquam aquæ

terra, & terram calce mixtam, per mixtionem rarefieri, & per extractionem condensari, quod infallibiliter non fit per propriam dictam rarefactionem & condensationem. vide dicta Dubio 1^o & Confirmationem Resolutionis primæ hujus dubii, ex præmissis.

LXXXII. Colliges omnino falsam esse hujus sententiæ probationem primam Patris Ovidii, scilicet, Probatur sufficienter; quia potest intelligi sine ulla prorsus difficultate, quomodo rarefactio fiat per receptionem corpusculorum, &c. Ad Confirmationem vero hujus, scilicet, dum aqua rarefit, apparet ad sensum interponi aërem, nescio quo sensu discernat, dum rarefit aqua, potius interponi aërem, quam bullas partibus aquæ subtilissimis & exhalationibus valde rarefactis repleri: idem etiam est de butyro bulliente.

LXXXIII. Sententiam istam paulò aliter impugnat P. Comptonus: vas testaceum, æneum, stanneum, &c. dum aqua congelatur, rumpitur periculo vacui, & non per egressum corpusculorum; alioqui, inquit, corpuscula illa vacuum ex aqua congelata relictum replerent, & sic nulla ruptio fieret. Verum non puto ego vas frangi ob periculum vacui; alioqui cum minimum vacuum natura non ferat, omnino in principio aquæ congelationis vas frangeretur, quod est contra experientiam; deinde periculum illud per se non est impetuofum; vas autem non frangitur sine impetu; unde fortè verisimilius est glaciem ita secundum profunditatem constipari & condensari, ut tamen secundum latitudinem extendatur, id facientibus calidis aquæ exhalationibus, quæ supra ascendunt, in glacie obice repleto. Vnde fit, quòd agendo in vas, ne extendatur, obfians, illum rumpat; ad eum ferè modum, quo succus, aut aër, castaneæ in ignem injectæ rarefactus agendo in illius corticem, ne extendatur, obstantem, illum rumpit.

RESOLUTIO III.

Rejicitur 3^a Godefridi Maslii & aliorum quoad mutationem totius quantitatis. item 4^a Scoti, Cajetani, & aliorum quoad mutationem partialis quantitatis.

LXXXIV. Dico 3^o rarefactio non est mutatio totius prioris quantitatis & productio majoris novæ totalis, imò nec partialis novæ additæ veteri: item condensatio non est mutatio totius prioris quantitatis, & productio minoris novæ totalis; imò nec perditio partialis antiquæ.

LXXXV. Probatur 1^o, quia quantitas non distinguitur realiter à materia, sed materia (si basis, ut supponunt illi authores) est naturaliter incorruptibilis, tam secundum partem, quam secundum totum, ergo, &c.

LXXXVI. Adde idem esse de quantitate à materia realiter distincta dicendum: quia non habet contrarium sui expulivum; nec (ut patet) perire potest defectu subjecti, quia illud est materia, quæ non deficit; aut defectu causæ conservantis, quia est eadem materia, ergo, &c.

LXXXVII. Probatur 2^o. Specialiter quoad mutationem quantitatis totalis: in sententia admittente quantitatem realiter à materia distinctam

valde probabile est cætera accidentia subjectari in quantitate, ergo illa pereunte totaliter per rarefactionem, etiam ipsa pereunt, quod est contra experientiam lactis; nam videmus in lacte rarefcente manere eandem albedinem.

LXXXVIII. Nec dicas quantitatem ejusdem speciei produci; contra enim est quòd sensui apparet eadem numero; nec dici debet sensum falli, nisi id evidenti ratione convincatur: 2^o non apparet, à quò secunda quantitas ejusdem speciei producatur; dicitur autem gratis, quòd lac fit ad hoc determinatum ex suppositione novæ quantitatis; quia nec ratio, nec experientia, magis docet lac, destructa primâ albedine, posse producere secundam; quam corpus, eruto oculo primo, posse alium producere.

LXXXIX. Probatur 3^o specialiter quoad mutationem quantitatis partialis; quantitas, quæ acquiritur recipitur in veteri materia, vel in nova? non in nova; quia nulla nova materia de novo produci- tur, cum rarefactio sit motus quidam alterationis ad accidens, & non importet creationem, uti est productio materiæ; non etiam in veteri, quia vel recipitur in materia informata alia quantitate, vel non? non primum, quia sequeretur dari naturaliter penetrationem dimensionum, quam naturaliter dari posse negant: neque etiam recipitur in non informata alia quantitate; quia illa non datur magis quam essentia naturaliter sine sua proprietate.

c. Probatur 4^o. Species Eucharisticæ possunt rarefieri, aut condensari remanente sanguine Christi sub illis; sed si in rarefactione acquireretur nova quantitas, etiam partialis, & in condensatione perderetur, non possent, ergo, &c. Probatur minor; quia in rarefactione, aut condensatione illarum corrumpitur quantitas, saltem partialis, & per consequens omnia accidentia, saltem illi parti correspondentia; sed juxta Theologos manet solum sanguis sub speciebus vini, quamdiu non corrumpuntur vini species seu accidentia, ergo, &c.

RESOLUTIO IV.

Rejicitur 5^a Recentiorum admittentium puncta inflata in continuo.

CI. Dico 4^o rarefactio non fit per inflationem minimorum Physicorum, nec condensatio per eorum compressionem.

CII. Probatur 1^o, quia nihil suadet dari talia minima, ergo, &c. antecedens patet ex dictis de continuo.

CIII. Probatur 2^o, quia vel illa minima inflarentur per vacuitates, vel per disjunctionem partium, vel per propriam substantiam indivisibilem, ex natura sua modò majori, modò minori spatio divisibili correspondentem, uti respondet Angelus; non primum nec secundum ut patet ex prima & secunda sententia supra rejectis: non etiam tertium; quia talem esse naturam rei materialis contra rationem & experientiam fingitur, ergo, &c.

RESO-

RESOLUTIO V.

*Rejicitur 6^a Durandi, Suarez, Conimb. Com-
plut, nostrorum, Rubii, Hurtadi, Comptoni,
& aliorum communis.*

civ. Dico 5^o rarefactio non fit per duos motus, quorum unus sit ad raritatem, quam dicunt esse quantitatem determinantem materiam ad magnam extensionem localem per recessum partium ab invicem, sine vacuitatibus, sine introductione corpusculorum in concavitates, sine productione novæ quantitatis, vel totalis, vel partialis, & sine expenetratione dimensionum; alter verò ad majorem locum, sive extensionem localem.

cv. Item condensatio non fit per duos motus, quorum unus sit ad densitatem, quam dicunt esse qualitatem determinantem materiam ad parvam extensionem localem per accessum partium ad invicem, sine expulsionem ullius corpusculi, sine corruptione, vel penetratione partis ullius qualitativæ: alter verò ad minorem locum, seu extensionem localem majorem.

cvi. Probatur 1^o, major locus terminans unum motuum rarefactionis, præsupponit (utpote forma pendens à quantitate tamquam subjecto) majorem quantitatem, ergo rarefactio non fit per recessum partium ab invicem sine productione novæ quantitatis, saltem partialis, aut expenetratione ejusdem: consequentia patet; Probatur antecedens à pari in albedine: extra rarefactionem albedo bipedalis supponit subjectum bipedale, & albedo major bipedali, v. g. tripedali, præsupponit majus subjectum v. g. tripedale; alioqui cum penderet à subjecto, deberet secundum aliquas sui partes existere sine subjecto; sed ubi majus, sive locus major, etiam secundum quod major est, quam ante erat, non pendet minus à subjecto in rarefactione, quam albedo extra rarefactionem, ergo, &c.

cvi. Respondebis etiam albedinem in rarefactione non supponere majus subjectum quantitativè, ut præsupponit extra rarefactionem; sed tantum subjectum majus localiter, ad quod etiam determinatur per raritatem, ad quam terminatur rarefactio. Sed

cvi. Contra, quando 1^o producit raritas in materia; vel producit in materia loco priori tamquam loco adæquato naturali, vel tamquam loco inadæquato; nam in illa ut in priori loco existente produci debet? si primum, non apparet quomodo postea, aut materia, aut ipsa raritas, sine expenetratione partium possit habere locum majorem: si secundum, ergo partim est sine subjecto, quod naturaliter, cum sit accidens, fieri non potest: nec dici debet, quod ita producat raritas in materia, ut per suum ubi concomitanter illam locet in loco majori, quia ex probatis Tract. 3^o Disp. 3^a. Dub. 3^o. formæ omnes ubicantur per ubi subjecti, non è contra subjectum per ubi formæ.

cix. Probatur 2^o supposito quod in corpore rarefactibili sint viginti partes naturaliter indivisibiles (nam Deum videre omnes partes continui naturaliter indivisibiles (id est tales ut minor naturaliter rareferi non possit) easque notare posse nota particulari A, B, &c. est certo cer-

tius) & non sint plures post rarefactionem, ut docet illa sententia; sequitur primam naturaliter indivisibilem (quam Deus videt) corporis rarefactibilis (& sic de 2^a, 3^a, & aliis) esse naturaliter in duobus locis adæquatis, vel unius earum locum esse sine subjecto naturaliter, prout naturaliter fit rarefactio; sed horum utrumque est absurdum; ergo, &c. Minor patet. Probatur sequela; ante rarefactionem erant tantum viginti partes loco naturaliter indivisibiles, nam cuilibet parti naturaliter indivisibili respondebat suum naturaliter indivisibile loci; post rarefactionem autem, cum locus sit, ut minimum semel major, sunt 40 partes loci naturaliter indivisibiles; ergo, vel prima pars corporis rarefactibilis naturaliter indivisibilis (& sic de secunda, tertia, &c.) respondet naturaliter duobus naturaliter indivisibilibus loci, ac proinde duobus locis adæquatis naturaliter; vel unius earum locus est sine subjecto naturaliter.

cx. Adde ferè simile argumentum fieri in raritate, quam volunt adversarii exigere locum majorem, quod sic ostendo: prima pars naturaliter indivisibilis raritatis respondens primæ parti subjecti naturaliter indivisibili, vel exigit naturaliter locum majorem adæquato, & naturaliter indivisibili, quem habet in subjecto naturaliter indivisibili, in quo est, vel non? si non, ergo nec secunda, nec tertia (& sic de aliis, ac per consequens, sic de tota raritate) exigit esse in loco majori: si exigit, cum locus debeat fieri major ad minus per unum secundum indivisibile de novo accedens, naturaliter exigit esse in duobus locis adæquatis; nam locus adæquatus partis naturaliter indivisibilis est unum indivisibile loci naturaliter, & exigit secundum: hoc autem repugnat, ergo, &c.

cx. Probatur 3^o, etiam secundum adversarios, rarefactio non potest intelligi sine recessu adæquato, vel inadæquato partium ab invicem; sed duæ partes naturaliter indivisibiles v. g. pars A. & pars B. in rarefactione non possunt ab invicem recedere recessu inadæquato, ergo recedunt necessario recessu adæquato; ac proinde per discontinuationem, cum sint sibi immediatæ, quod est incidere in sententiam secundam; & eodem modo impugnatur.

cxii. Probatur minor 1^a, cum qualibet pars supponatur naturaliter indivisibilis, nullam habet inadæquationem respectu potentie naturalis; ergo nequit inadæquate, & secundum medietatem tantum recedere: Probatur consequentia; quia ut corpus rarefeit naturaliter, ita actione agentis naturaliter recedere debet, ergo, &c.

cxii. Probatur minor 2^a, eodem modo se habet pars A. naturaliter indivisibilis respectu potentie naturalis, sicut se habet punctum A. secundum se indivisibile respectu potentie divinæ; sed illud non potest per Deum, seu potentiam divinam inadæquate tantum, & secundum medietatem tantum recedere à puncto B. sibi immediato; quia est secundum se, etiam divinitus, indivisibile; ergo neque pars A. naturaliter indivisibilis per potentiam naturalem (à qua est rarefactio) potest naturaliter inadæquate, & secundum medietatem tantum, à parte B. sibi immediata & naturaliter indivisibili recedere.

Confir-

cxiv. Confirmatur tota pars A. recipit raritatem; nam cum agentia naturalia agant in subiecta determinatæ quantitatis, non possunt agere in partem minorem naturaliter indivisibili, ergo tota rarefcit, ac per consequens tota recedit; quod procul dubio videt Deus, cum initium & finem extrinsecum ipsius videat.

cxv. Respondebit fortè aliquis, partem A. naturaliter indivisibilem fieri naturaliter divisibilem, eo quod per rarefactionem recipiat majorem locum. Sed

cxvi. Contra, præterquam quod prius ostendi debeat, quomodo pars materialis naturaliter indivisibilis possit majorem locum recipere, cum illum recipiat ut indivisibilis, sicut illi ut indivisibilis præsupponitur tanquam subiectum; inde solum sequitur locum fore naturaliter divisibilem; non verò partem subiecti naturaliter indivisibilem fore naturaliter divisibilem; nam quod est naturaliter indivisibile, non fit naturaliter divisibile ratione sui loci divisibilis; quia locus divisibilis non mutat rem in se quantitativè, id est, non facit ut si indivisibilis sit res, quam afficit, fiat divisibilis quantitativè, ut patet in ubi divisibili Angelico, quod non facit Angelum in se quantitativè divisibilem, sed localiter tantum, quod ultimum in re materiali indivisibili fieri non potest, propter modum existendi in loco, quem habet diversum ab Angelo, scilicet, sic ut pars parti & totum toti loco respondeat, Angelus autem sic, ut totus toti, & totus cuilibet parti loci respondeat.

RESOLUTIO VI.

Stabilitur 7^a. & nostra sententia.

cxvii. **D**ico 6^o. rarefactio fit per expenetrationem, sive egressum partium ex partibus penetratis; condensatio verò per regressum partium in partes.

cxviii. Probatur ex Aristotele 4^o. Physic. textu 84^o. contra 2^{am} sententiam 3^{am} & 4^{am} itaque idemmet rarum & densum, & una materia (& consequenter quantitas, quia quantitas à materia realiter distincta est fictitia) utriusque: cum verò docet rarum habere plus quantitatis, quàm densum, intelligi debet de quantitate situati ut patet: item contra 2^{am}, rarum putabitur qualitatem significare, & tamen alienum est à qualitate. Idem Arist. in prædicam. qualitatis, ergo, &c.

cxix. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum, solutione objectionum contra hanc, & facili modo explicandi rarefactionem & condensationem, ac D. Thomæ autoritate 2^o. de generatione lect. 2^a. ubi ait: rarum autem & densum sunt positio partium materiæ secundum propinquum in denso, vel secundum remotum in raro: illud autem propinquum in denso, & remotum in raro, aliter explicari non potest, ut ante vidimus, quàm per hanc nostram Resolutionem, ergo, &c.

cxx. Objicies 1^o. hæc sententia nulla prorsus autoritate nititur, ergo est improbabilis.

cxxi. Respondeo transeat antecedens; nam sufficit quod nitatur ratione, quia (ut optimè Sylvius lib. 4^o. cont. q. 2^a. art. 4^o.) non solo autorum numero, sed potissimum ponderare rationum querenda est veritas: limita in naturalibus: deinde peto, an omnes sententiæ, quarum primi authores fuerunt Aristoteles,

Scotus, S. Thomas, &c. in initio suo fuerint improbabilis? qui negant, admittunt nobiscum sententias probabiles sine autoritate; illæ enim solâ ratione, nullâ autoritate tunc nitentur; qui affirmant parum sapiunt, qui (præterquam quod earum pleræq; ab initio fuerint certissimæ) sequeretur omnes omnino sententias, utpote semel novas, fuisse semel improbabilis: Adde tamen hanc nostram sententiam non esse ita novam, quin continuæ illius oppugnationes, & in scholis refutationes, satis ostendant eam aliquando habuisse suos authores & patronos; imò P. Ovied. dicite esse aliquorum Recentiorum, quos tamen non nominat; esse autem Aristotelis & D. Thomæ probatum est.

cxxii. Objicies 2^o. ex communi omnium Philosophorum & Theologorum; penetratio quantitatis est naturaliter impossibilis, supernaturalis, &c. ac proinde temerarium est contra torrentem Philosophorum & Theologorum illam admittere naturaliter, ergo, &c.

cxxiii. Confirmatur, si penetratio naturaliter esset possibilis, non apparet, cur pulvis tormentarius in tormento bellico inflammatus, & rarefactus, illud in varias partes aliquando diffunderet; & non potius ipsum penetraret; item cur fulmen aurum liquefaceret, cur globus à tormento explosus foramen in muro, aut aslere occurrente, relinqueret, & sic de similibus, ergo, &c.

cxxiv. Respond. 1^o. transeat antecedens, nego consequentiam: quia temerarium non est, quod, vel sufficienti ratione, vel sufficienti autoritate nititur; sed ille temerarius est, qui sine sufficienti ratione & autoritate alterum temeritatis in simulat: deinde in rebus, quæ neque ad fidem, neq; ad cultum Dei pertinent, ratio & experientia prævalent authoritati; ideoque Aristoteles & plurimi alii sæpius communes sui temporis sententias rejiciunt, nullâ pro se citatâ autoritate.

cxxv. Resp. 2^o. distinguendo antecedens ex communi Philosophorum & Theolog. sententiâ: quantitatum corporum distinctorum penetratio est naturaliter impossibilis, supernaturalis, &c. concedo antecedens; partium quantitatis ejusdem corporis, nego antecedens. Ex his ad Confirmationem patet.

cxxvi. Instabis, si aliquæ partes quantitatis ejusdem corporis se penetrare possent naturaliter, possent omnes, ac proinde poterit corpus redigi ad punctum; sed hoc est absurdum, ergo, &c.

cxxvii. Resp. 1^o. retorquendo hoc argumentum (quo omnes nostram sententiam rejiciunt) in omnes alias sententias: in 1^{am}, si partes ejusdem corporis habere possint vacuitates sine corpusculis naturaliter, poterunt omnes, ac proinde nullum dabitur continuum; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 2^{am}, si partes ejusdem corporis habere possint vacuitates plenas corpusculis, habere poterunt omnes, ac proinde nullum dabitur continuum ejusdem rationis; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 3^{am} & 4^{am}, si partes ejusdem corporis perdere possint totam antiquam quantitatem, vel partem ejus, poterunt omnes idq; diversis vicibus, ac proinde tandem nihil restabit quantitatis partium; sed hoc est absurdum, ergo, &c. in 5^{am}, si partes ejusdem corporis possint magis ad se invicem accedere, poterunt omnes magis ac magis in infinitum, ac proinde poterunt ad punctum loci redigi; sed hoc est absurdum, ergo, &c. quidquid ad hæc responderint adversarii, proderit ad solutionem sui argumenti; ad quod tamè aliter

E c

Resp.

cxviii. Resp. 2^o. quodlibet totum habere ex natura sua quasilibet sui partes tantū à similibus partibus penetratas, quantum per rarefactionem extēdi potest naturaliter; nec post rarefactionem partes illas magis condensari posse, quā habuerint partes connaturaliter ante rarefactionem penetratas: sicut tamen elementa rarō sunt pura, & instructa primis qualitatibus summē intensi, ita corpora rarefactibilia rarō sunt in statu præcisē penetrationis connaturalis partium; sed ordinariē habent aliquam rarefactionem & earum expenetrationem; unde fit, quod corpora, quæ utcumque densa videntur, possint magis condensari naturaliter.

cxix. Collige corpora, quæ magis dura & ponderosa sunt, non debere dici densiora, & è contra, quæ magis pervia & levia, non debere dici rariora: sed densiora dici debent, quæ in statu suo naturali habent plures partes in eodem loco penetratas; hinc pulvis tormentarius est summē densus, licet parum durus & ponderosus; rariora verò sunt, quæ in statu suo naturali pauciores habent partes penetratas; hinc ferrum est rarius pulvere tormentario: Ratio horum est 1^o. quia in omnium sententia illud den-

sus est; quod ex natura sua plus habet materiæ sub eadem extensione locali; rarius, quod minus; id autem maximē convenit corporibus densis & raris, juxta nostram explicationem: 2^o. quia authores contrariæ sententiæ durum & ponderosum videntur confundere cum denso, & pervium ac leve cum raro, quæ sunt summē distinguenda, ut patet ex hac Resol. & refutatione aliarum sententiarum (secundum quas ista confunduntur) de condensatione & rarefactione: 3^o. quia densabile dicitur ab eo quod magis possit per certam accidentium extrinsecus advenientium seriem densari, sicuti rarefactibile dicitur ab eo, quod possit magis per aliā accidentium extrinsecus advenientium seriem rarefieri; nam densum & densabile, rarum & rarefactibile distinguuntur, saltem uti album & dealbabile, quod ultimum denotat agens extrinsecum, non verò album; unde debent explicari modo, quo explicamus. Ex his

cxix. Collige ulterius, Corpus Christi in venerabili Sacramento non esse totaliter densum, quia non habet ex natura sua omnes partes penetratas, sed virtute divinā.

DISPUTATIO DECIMA.

De Conditionibus ad agendum Requisitis.

D V B I V M I.

an simile possit agere in simile.

ANte Resolutionem
Suppono 1^o. similitudinem hīc maximē spectari in qualitatibus, ita ut illa dicantur similia, quorum qualitas est una, sive ejusdem speciei.

II. Suppono 2^o. simile posse agere in simile, 1^o. actione æquivocā, sive per qualitatem specie distinctam ab ea, secundum quam est alteri simile; nam oculus meus producit speciem sui in oculo Petri, manus A. manum B. æque calidam humectat: 2^o. actione, non assimilativā; nam lapis quatuor librarum supra alium lapidem ejusdem gravitatis positus gravitat, & juxta Aristotelem elementa gravitant in loco naturali; ac proinde pars aquæ superior agit gravitando in inferiorem: Deinde ignem magnum absumere & corrumpere parvum experientia constat: verum hæ actiones non sunt assimilativæ; ut patet.

III. Suppono 3^o. dubium procedere de actione assimilativā in gradu sive per qualitates in intensione similes, & non tantum in specie: ut dubii sit sensus, an calidum ut duo possit in aliud calidum ut duo agere, in illum producendo calorem ulteriorem, & consequenter illum intendendo: pro quo, sit

R E S O L U T I O.

IV. **D**ico, simile in eadē specie qualitatis, & intensiōis gradu, non potest actione assimilativā in passum simile operari, etsi passum hoc excedat densitate, vel magnitudine.

V. Probant faciliē hanc conclusionem, qui dicunt gradus intensiōis esse heterogeneos, ac proinde secundum intensiōis qualitatis gradum, esse imperfectiorem tertio, & tertium quarto, & sic de aliis: se-

cundus enim tertium producere non poterit, quia imperfectior tertio: verum probatum est supra, gradus illos esse homogeneos, quare aliter

VI. Probatur, ex natura ipsarum qualitarum assimilativarum nobis nota à posteriori: duo calida ut duo sibi applicata, nunquam intendunt suum calorem, quantum experimur, ergo, &c. Consequentia probatur; quia de natura rerum debemus ab experientia, & à posteriori judicare; quare enim ignis calorem, aqua frigus, calor ut duo cum calore ut tria calorem in alio ut quatuor producit, & non in seipso; nisi quia talis naturæ, quantum experientia colligimus & à posteriori, ergo, &c.

VII. Confirmatur ex Aristotele hīc cap. 1^o. ubi textu 45^o. ait, nihil pari à simili, nam, inquit, cur potius alterum altero erit passum? etsi fieri queat ut patitur à simili, posset quandoque à se pati; ac proinde se ad octo gradus intendere, contra omnem experientiam.

VIII. Nec rectē Respondet P. Ovidius utrumque fore passum & agens respectu invicem; quia si tales possint esse respectu invicem, poterunt & respectu sui ipsius, ut inquit Aristoteles, nec propter aliam rationem non potest idem esse agens & passum respectu sui ipsius actione univocā & assimilativā, quā quia non potest respectu alterius sibi similis esse agens actione dictā & passum; quod si hoc posset, posset & respectu sui ipsius; quia non est minus capax ulterioris gradus, quā alterum simile.

IX. Objiciēs tamen 1^o. agens necessarium adæquatum & sufficienter applicatum subjecto capaci, necessariō agit: sed calidum ut duo est agens necessarium adæquatum respectu unius gradus caloris producendi; ergo si sufficienter applicatum sit subjecto capaci, scilicet calido alteri ut duo, in ipso producet unum gradum, ac per consequens simile aget in simile: Probatur consequentia; quia non